

Petrus de Pretio

Adhortatio

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Pretio

Adhortatio

1269 circa

De casu regis Conradi nepotis imperatoris Friderici secundi. Hec est operis representatio facta domino Marchioni

Cap. I 1. Ad splendorem perpetue tue laudis et tui totius generis generosi decorem, celorumque instanter ad astra volat, divina sibi potentia datis alis, ille nepos tuus egregius, ad alta rerum culmina tollitur, dum ad immensa dignitatum fastigia sublimatur et in magnifica domo tua sibi nidum elegit excellens imperium orbis terre, ne tam magnalium fama gestorum, gentibus celebranda, per evum aliquamdiu squaleat et de libris humane memorie deleatur, orditus nuper operis huius telam, cuius in contextu distincta lucebunt singula que semper constituent illam immortalem. 2. Ecce tuis eam devote conspectibus represento: ad quam texendam, ulterius succedentibus rebus prospere celesti virtute gratiam desuper infundente studiose, quoad poterit, mee diligentie manus, nulla segnitie languida, refrigescet.

Cap. II 1. Accipiens igitur has benigne primitias, o magne princeps principum, marchio, stupor orbis!, qui potes in tua sobole merito gloriari, divorum pater, quo de stipite sacro Cesares ac reges innumeri de cetero pullulabunt, ut tantis successibus felicior processus excrescat, et michi scribendi tractatus thematis fortunatior extendatur, 2. amplectere mundum, amplectere tibi tuisque servire fragranti cum desiderio sitientem incarceratum! Censum cense propterea liberaliter liberandum, expende vires hilariter, expende labores et tuam cum hoc infinitam potentiam experire! 3. Oportet enim ut multum sudando seminet et seminando sudet quisquis ardet recolligere multas fruges: nec absque grandium rerum sumptibus graviumque ferendis

laborum ponderibus ardua regna proveniunt excelsa, nec umquam imperia comparantur. 4. Me ceterum solertem glorie domus tue preconem, qui solempnem ipsius pompam evangelizans, ubique cum litterarum exultanti iubilo, festivis verborum tympanis et altisona stili tuba vulgatam conor in seculis eternare, si placet, in apertum assumens gremium caritatis, favoris et gratie michi participium impertire, quod ex operis eius honore pontem michi construxerim ad honorem et serviendo fideliter fertilem agrum colam, non laborans arando steriliter in arena, etc.

Cap. III 1. Amara doloris sevientis intentio non verecundatur, non metuit, non deliberat, non consulit rationem. Dolorosa nuper itaque sagitta vulneratus interius, que meam crudeliter animam pertransivit, presumo viribus et mutum non vereor ponere os in celum: 2. sic alas induit Dedalus ad volatum, sic fulmina Salmoneus iaculatur, sic ferre formica satagit sarcinam elephantis, pensans enim propensius quod sacra misteria scripturarum gesta memoranda perpetuant humanis intellectibus, dum ea vetusta renovant et preterita representant; multorum per quas ingenua virorum ingenia, que suis herebant animis elegantibus olim studiis ad futurorum notitiam mandavere, quorum quidem aliter ob deficientium mortalitatem hominum mentio non vixisset, adeo quod hiis solis remediis adhuc hodie sunt in fama que longis in temporibus in essentia defuerunt.

Cap. IV 1. Illustris regis Conradi secundi lugubre fatum, miserabilem casum, exitum infelicem, horribile nefas, detestabile facinus, abhominabile scelus in eius acerba cede patrata, pectoris in ergastulo prorsus incarcerare

nequivi vel in meis sopita precordiis sepeliri, quin horum violentia seram sermonis frangeret in hostio labiorum, et decet me verbis ipsorum amaritudinem eruptare, que profecto retenta mentis in stomacho turbationis nauseam procreasset.

Cap. V 1. Quapropter lamentabilem materiam prelibatam, causas ipsius omnes et contingentia singula, queque ipsa miserrima vidi et quorum pars magna meis fere pre sensibus acta fuit, quantum videlicet ex agro diffuso, tribulis depresso multis ac sentibus, pusilli metentis ingenii colligere potuit brevis manus, quantumlibet impedierit votum furentis inundans doloris impetus et multa pluentium stillicidia lacrimarum, licet inertum cum arte, verbis illepidis et inordinato cum ordine, scribere fideliter ausus fui, 2. quod, in aures mundi publicas prementem huius atrocitatis exhonerans gravitatem, extendam eam clarius in evi presentis conscientiam certiore, nudam inde transmittam ad posteros veritatem et nunquam aput homines eius dampnanda memoria moriatur. 3. Cuius ad maiorem flagrantiam inflammandam odio vel amore non diverti falsitatis in devia – novit Deus – a propria rerum via, cum earum qualitas per se sola tanta superbia, tanta sevitia, tanta perfidia sit referta, quod michi si lingue centum sint oraque centum et vox ferrea nequeam numerare notam unde monetam expendere, pro fideli verum abscondere seu mendacium suscitare: nec ulla necessitas suadebat nec frugis utilitas consulebat.

Cap. VI 1. Adhuc autem ne tractatus instantis a sarcina ponderosa meus ita mergatur animus in eiusdem infernum tristitie, quod – si fas fuerit – ad paradisum alicuius letitie non resurgat, si cernam precipue quam

esurio tota mente patrati facinoris congruam ultionem; verum ipse resultans stilus elegiacum versum mutet, interdum ad cantus liricos hilarem vocem tollat et ad tonos amenos temperet cytharam dulciscentem: 2. processus in hac parte magnificos regis excelsi tertii Friderici, causa que ipsum vocat, prout Domino dirigente successerint, et favorem desuper irroraverit eis Deus, aspirantibus votis, exponere non postponam, ut, quemadmodum notitie luce poterit caput huius enormis criminis intueri, sic ad sequentis eventus caudam, mundus ignorantie tenebris non caliget.

Cap. VII 1. Accipiat gratanter igitur, o modernorum universitas hominum, o posteritas successura, presens opusculum, quod Petrus de Pretio, quamvis facundis verbis non conditum et fecundis sententiis non conditum, quamvis nervis et annis debile, quamvis aridum et exangue compegi. 2. Qui meam insufficientiam recognoscens, non reor opere pretium peregissee, quod hec pagina rudis altis auctorum tractatibus temere comparetur, qui grandiloqui rethorice dive procures in eius agone solempnibus exercitiis militantes, sublimia gesta principum et presignes historias veterum aureis scematum texuerunt ornatibus et colorum purpureis floribus depinxere, quibus revera solvere calciamentorum corrigiam non est digna, non ut impetret acus modica magnos inter vomeres et ferramenta cetera numeri dignitatem, sed quod eis maioribus devota pedissequa subiectione qualibet ancilletur. 3. Parcite michi benignius ergo, parcite! Ruditatem – queso suppliciter – propitii tolerate, quod in hac parte meam non accusetis inertiam et presentem libellum vestra sententia non dampnetis.

Cap. VIII Audite, gentes, per secula processum nefarium et excessum a seculis inauditum. Attendite sensibus excitatis prediram tyrannidem et efferam feritatem, quam iste Nero secundus, gentis humane carnifex, regni Sicilie violentus invasor, alter Rufinus et Catilina novus, vel inconsiderato presumpsit consilio vel audacia desperata, qui, profecto bibens a fonte nequitiam originis primitive, totum iniquis actibus et malignis studiis se devovit.

Cap. IX 1. Nam si primo vobis insinuem sui pravi germinis amarorem, ut nugantium erronea quorundam opinio vel equivocationis fallacia vobis inde de cetero non concludat, ab olim Magno Karulo noster iste Karulus procul dubio non descendit plus quam cuculus ab aquila, seu murilegus a leone, 2. sed, chronici probante cyrographi testimonio veritatem illius principis excellentis, cum ex progenie generosa quidam eo tempore superesset in regno pupillus, utique parvulus, et preesset marscalcus ipsius Hugo Cappetta nomine, venenum perfidie corde gerens et infidelitatis aculeo stimulatus, suum in eum dominum temerarie conspiravit et nequiter extinxit eundem. 3. O nefas in dolo pariter et dolore! Qui, tante prodicionis facinore perpetrato, velut laudis egregie si peregisset opus ascendit ad regni solium, sanguinolenta palma sceptrum dominii frenumque regiminis apprehendens. 4. Cuius de genere natus degener est Philippus, quem iste sui satorem fuisse nuncupat, licet eum alicubi fama loquatur aditum.

Cap. X 1. Nolo plura dicere. Ceterique Francie reges continue successere, non secus omnino quam si rapaces lupi, leonum genus prestantium devorantes, eorum in locum surgerent et in plebe ferarum sibi ius

dominii vendicarent. 2. O nequam fortune iudicium, que demens ac ceca non cernit iustitiam nec trutinat equitatem! De tam enormis peccati semine – nescio quomodo potuit pati Deus – messem fructus et uberis frugem gratie collegerunt. Adepti sunt inde premium, unde meruerunt exterminium sempiternum; scandentes ad dignitatis apicem, unde decentius in abyssum profundam interitus corruissent. 3. Cur ergo te non pudet, o Francia meritis indecora et rationabiliter inhonora, talibus servire tyrannis et illorum portare iugum qui regem tuum legitimum, de tribu tam sacra progenitum? Sic fraudulenter proditum prodiderunt, quousque sui pretio sparsi sanguinis et pro lese crimine maiestatis constat inique taliter tui dominium comparasse. 4. Quam quidem antiquam nequitiam et innatam! Solet, uti semper, in ramos amare radicis vitium resultare, nunquam, postmodum omnes ipsi descire sciunt, nunquam adhuc dediscere didicerunt, tamquam prolixo temporum transitu iam prescriptam. 5. Et quamvis ypocrisis cucullas induant simulatas, iustos ac timoratos viros mentiri gestientes in gestibus et in gestis, manus extendunt ad predam semper et nunquam eas retrahunt a rapinis, finitimorum substantias et fortunas vel ex toto diripiunt vel ad minus in aliquo circumcidunt. 6. Unde tam regis Anglie, regis Navarre, comitis Tholosani testimonium invoco quam aliorum quamplurimum vicinorum, qui certam exinde veritatem in libris experientie didicerunt.

Cap. XI 1. Nec potest non esse notorium quod est universaliter omnibus manifestum. Ideoque prefato Karulo, suggerente natura profana medullitus omne nefas, sed eidem precipue tam ardorem fallendi

quam artem superbie fallere, spiritum bullientem, inextinguibilem avaritie sitim et frendentis sevitie rabiem ministrante, dum amica prosequitur vitia, virtutes prosequitur inimicas: ymmo, proscriptis virtutibus, tali cum vitiis federe coniuravit quod ab eorum nexu sectionis nullius manibus dissolvatur. 2. Hec sola sunt que solium domini sui fulciunt, hec nunquam eum in suis operibus derelinquunt. Ex quibus naturaliter ita semper ad omnia mala fervens, non saturatur propriis, sed hyanter esurit aliena; sicque, suis multos antiquis hereditatibus exheredans tam in Ytalia quam in propria regione, regnum et alias terras plures, deletis possessoribus, perperam usurpavit, infelix regnum affligit graviter et exhaurit coemptionum extorsionibus universos, non verecundans fallere datam fidem, nec violare prestitum manu propria sacramentum quibus id servare sponso dedit a cunctis exactionum oneribus manumissum, cum sit ei fides fidem aliquam non servare, sic ei periurium periuriis non nocere, sic ei falsitas non committere falsitates. 3. Innocentium multa milia miserorum devoravit et devorat in ore crudelis gladii, quem a sanguine saturari non patitur, et lavat humano sepe sepius in cruore. Nam reputans esse miserum misericordia non carere, sic esse pium iudicans impie iudicare bachandi licentia concessa tyrannidi non parcit alicui sexui vel etati, innumeros bonos viros excussos a patria proicit in exilium ex occasionibus, non ex causis, quod eorum solummodo spolia pretiosa deglutiat ipsius rapacitas inexplata. 4. Turbationum acerrimas assidue creat discrasias, quibus quassatam torquet non minimam eius partem. Illas omnino terras, quas sibi adiacentes calcare potest tam in personis hominum quam in rebus distrahit, ymo destruit; omni

iustitia naufragante, dum alios occidit, alios incarcerat, alios relegat, alios depredatur.

Cap. XII 1. Sed preter hec, de quibus iste tractatus omnibus quidquam disserere non intendit, preter etiam alia nequiora que iuvat ad presens omnia taciturnitatis in archa recondita preterire, frementem furorem satius calcaribus urgens, acrius – abiectis temperantie frenis – excurrit in frenesim truciores, quam Deus et homines, celum, terra, iustitia, pax et concordia, fides et pietas ceterarumque virtutum senatus omnino dampnatam horribilius detestantur. 2. Et que meum tantas animum accendit ad iras, ut de vagina silentii propterea lingue gladius exeratur, et immensam ipsius proterviam evisceret universis.

Cap. XIII 1. Illum enim quondam illustrem regem Conradum secundum, a patre secundum numero vel secundum nomine, sed omine non secundum, ex imperatorum antiqua prosapia propagatum, causam rationabilem, quamvis infelicibus auguriis prosequentem, non in prelio, non in armis, non in eius contrarium tunc intentum, verum inermem ac profugum in Romana maritima nequiter interceptum, post diuturnum eius carcerem, post probrosa ludibria, post multas ex eo factas ostentationes ad pompam, ubi iam cum abinde per Campaniam usque Neapolim ignominiose post se traxerat compeditum, 2. contra iustitiam, ymo quod est gravius contra Deum, contra concessam ei pluries de mortis securitate fiduciam, contra ius omne belli, contra consuetudinem priscis moribus approbatam, quod neminem regem, quem in armis cepissent, vita privandum provide statuerunt – ha Deus, quantum horresco referens! ha, quanta dolorum mole memoro

pregravatus! – immaniter et impie trucidavit, ausus apocopare capite nobilissimum eius corpus. 3. O nefanda temeritas, o superba crudelitas, o rabies truculenta! Dum tanti regis sitivit sanguinem, eius carne non veritus saturari. Heu furor, heu fastus, heu dolor, heu plusquam dolor, cui non est similis ullus dolor!

Cap. XIV 1. O Cesar excellentissime Friderice secunde, cuius mortui quoque nomen mundum illuminat et decorat, ecce filii tui filius, vertice truncato, iacet acephalus in arena. O rex Conrade prime, tempore tuo prepotens in urbe tua Neapoli, quam tantis olim sumptibus tantisque laboribus magnifice domuisti, tuus ecce natus indigna nece dampnatus est! 2. Ve tibi, rex iuvenis! Ve tibi, miserande puer! Ve tuis, qui tante spei thesaurum inextimabilem perdiderunt! Tua cum taliter fila rupit intempestiva Parcharum manus, ut florentis etatis annos falce crudelis fati meteret ante diem. 3. O tristis et misera mater eius, in hunc servata dolorem, que tali tantoque filio deorbaris, qui rectis vestigiis ad altum imperii solium ascendeabat! O coniux infelix eius, que nullum in orbe tibi de cetero virum reperies sui parem! O pretristes Bavarie duces, qui, susceptum in ulnis vestre sororis ab utero, magis educastis eundem filium quam nepotem! 4. Plange dolenter exinde, mesta Germania, nutrix eius, carens alumpno carissimo, dampno cum gravi sed dedecore graviori! Plange, dolorosa Suevia, sua peculiaris hereditas, naturali principe vituperabiliter viduata! Plange vehementer, Ytalia, quoniam occidit caput tuum, caput in quo sperabas et admodum respirabas! Plange, miserum Sicilie regnum, plange, quod inter tua viscera tuum verum dominum ob tui redemptionem vidisti – proh

dolor! – asperime decollatum! Plange precordialius et lamentare pre ceteris, infortunata Ierusalem, perduto rege vero, quo vere fuisses in integrum restituta! 5. Dolet reges singuli, dolet principes universi, dolet generaliter omnes gentes, tam in modo mortis quam morte, sic horribile maleficium execrantes, quo vobis universaliter et toti mundo noscitur derogatum! 6. Quis enim est ita crudelitati deditus et pietati sublatu? Cuius in animo sic est omnis scintilla rationis extincta qui tantam culpam non culpet graviter, dampnationem dampnet iniquam et crimen huius criminetur? 7. In aliis quippe cedibus sublimium et humilium personarum leges antiquae penas congruas invenerunt; in huius vero tam atrocis facinoris novitate, quod novum pene genus excogitari posset, quamvis nulla sufficeret ad vindictam?

Cap. XV 1. O rabiose Karole! Si redivivus a mortuis dominus imperator hiis contra te linguam verbis solveret in loquelam: «Ego tibi dudum comitatu Provincie cum uxore de gratia speciali concessi; tu vero, pro nectare rependens absintheum et dirum pro melle retribuens aconitum, meam hereditatem antiquam, Sicilie regnum scilicet, meis a posteris per iniuriam extorsisti. 2. Ego, propter id beneficium tibi gratanter impensum, et quia propterea tam michi quam meis heredibus fidelitatis debite prestiteras iusiurandum, in te precipue confidebam. Tu vero, nequiens esse nequior, omni debito fidei cuiuslibet abnegato, delere genus meum in gladiis – heu, heu! – temerariis ausibus, presumpsisti! 3. Ego fedus perpetuum cum olim patre tuo firmatum custodivi fideliter, te vel tuos in aliquo non offendens; tu vero meos insurgis in posteros, omni federe violato contra personas et res eorum, truculentior aspidē venenosa»,

quid ad hec sibi rationabile responderes? Quo tuam iure posses perfidiam excusare? 4. O hominem mille mortibus dignum, hominem exhominandum, hominem inhumanum, qui nec homo digne vocatur, indigne postquam in talis caput hominis ferrum extendere non expavit, cui de iure priscorum meritis, ut videtis, et quod plus est fidei debito tenebatur! 5. Qui dum regie dignitati non detulit, indignum se reddidit regia dignitate, quam ego sibi perpetuo suis iuste demeritis sibi per sententiam interdico, quoniam illud nefas explevit in principem christianum, quod in eundem olim et regem Francie, fratrem ipsius, captos a barbaris, censens indignum, Agarena perfidia non temptavit.

Cap. XVI 1. Videte crudelitatem horridam, videte nequitiam detestandam, videte si merito se specialem Ecclesie profitetur filium, qui nec Deum timet, nec recognoscit eam, nec hominem reveretur! Quid inquis, o sancta mater Ecclesia? Quod iste tuus filius – qui fuisset utinam (vel defuisset potius) abortivus aut ex eo utinam prius sterilis estitisses opus inficiendum opifici – tue factus est fame lues et obprobrium honestatis in humano genere, dum sic impie neronizat, nonne stupente spiritu cum robore monstrum huiusmodi terribile perhorrescis, quod ita protheatur in viperam et degenerat in serpentem? 2. Cur igitur, o tyranne, regem eundem puerum, quem victum arcebas et vinctum et saltem servare debebas et poteras pro thesauro, tantis accensus furiis, abhominabiliter occidisti? Sperabas regnum ipsum propterea liberius possidere, at nichilominus ibi postmodum multos rebelles ac multos obices invenisti, nec adhuc integrum illud haberes. 3. Ratus es adversario caruisse, nondum tamen tibi defuit hostis; conatus es

proditione illum tuum primevum proavum marscaltum, ne forsan ab eo degeneres perfidiis equipollentibus et homicidiis exemplare.

Cap. XVII 1. Sed huic superest heres et successor legitimus, quem in tuo corde cognosces excidio fortiolem. Quis – inquam – tibi consuluit tantum nefas? Non profuit, certe, sed obfuit, obfuit, obfuit iam et oberit, ut opinor, quantumvis ex premissis ovaveris, et te rapuit extra mentem casuum ceca sequentium in sensis ebrietas instantium gaudiorum: interest enim cuiuslibet sapientis premittere mentis circuitum ad futura. 2. Non solis ab ortu, sed certum de die colligitur iudicium ab occasu, sereni namque diei claritas interdum extinguitur nubibus tenebrosis crebrisque repente tonitruorum fragoribus omnia quatiuntur: Nescia mens hominum fati sortisque future et servare modum rebus sublata secundis!

Cap. XVIII 1. Forsan tempus erit multo cum optaveris emptum intactum eum, et eum, spolia sua regnumque oderis animo penitenti. Ubi iudicem immisericordem invenies – qui sine misericordia iudicasti – iuste pro certo dampnaberis; iniuste qui tantum principem dampnavisti, iuste perdes propria, dum iniuste niteris aliena tenere. Deus enim equus et dominus ultionum tam enormia scelera, quorum pondus molestum iam omnibus et infestum terra gravata nimis, amodo sustinere non potest, nullo modo negligens impunita de cetero, sed talionis falce fungitur amputare decernens. 2. Ecce contra te suum exuscitat angelum prosequenter, Fridericum tertium, scilicet imperatoris nominati nepotem et regis eiusdem tui mortui consobrinum, qui mortem ipsius procul dubio caram vendet, cedes qui tuas cedit ita quod cedent, seviet in sevitas, predabitur ipsas predas

quas inferis, angustabit angustias, captivabit captivitates, turbationes turbabit, sed etiam disturbabit et occidet homicidia tua cum homicidiis relativis, ut, alternatis vicibus, actio transferatur passionis in habitum, et transeat incus in malleum et malleus in incudem. 3. Ymmo sicut aliqua vaticinia pollicentur et multa signant oracula prophetarum, hic est ille qui precipue destinatus a Domino fatisque spontaneis propterea reservatus, te totum et stirpem tuam evellet de terra viventium a radice, nec ad tantas crudelitates ob aliud carbasa tue puppis spiritus malignus inflavit, ut per altitudinem pelagi nunc usque sic prospere vehereris, nisi quod, ceteris exsuperatis scopulis, hanc in caudem fortius impingeres duriolem, ubi fractis ex toto compagibus graviore naufragio submergaris. Et quamvis ad istam Deus lento gradu processerit tarditatem pene, gravitate iudicii recompenset.

Cap. XIX 1. In profundis itaque tantarum miseriarum, fatiscens orbis iste, depressus graviter et afflictus tot iaculis tormentorum, ad te clamat instanter, o rex regum, maxime Friderice tertie, quod ad relevandum ipsius lapsum et ruinam precipitem reparandam extendas ei tue potentie dextram salutarem; ad te, levatis in altum velis, cunctorum rates fidelium navigant incunctanter. 2. Tu, stella maris fulgida, dirigis oberrantes, tu portus salutis omnibus in tempestatibus procellarum! Tu lucifer matutinus, tristitie pulsa nocte, preradians appares letitie cum aurora! Tu, fortitudinis turris contra faciem inimici! Tibi favet Germania, tibi parere paratur Ytalia, tibi sitit servire Sicilia, tibi Ierusalem desiderat obedire, te solum dominum amodo recognoscunt, te verum profitentur heredem, te sciunt et optant, petunt et reputant legitimum

successorem, in te solo sperant, in te requiescunt omnes, in te potissime consolantur.

Cap. XX 1. Nec mirum, cum enim rex ille miser mortis ad supplicium – heu dolor! – et tanquam ovis ad victimam trahebatur, non sic egregium eius animum prostravit ille timorum maximus nudati iam gladii, qui supra cervicem sibi crudelem et amarum interitum minabatur, quin alta voce proclamans – mirabile dictu! – publice testaretur, te suum heredem universalem instituens, cui tam regna sua quam et ducatum Suevie perpetuo relinquebat. 2. Ecce vera fraternitas, ecce zelus intime caritatis, quamvis nichilominus preter hoc tibi libere debebantur, quoniam rex Conradus primus quondam, in ultima voluntate regnum Sicilie ducatumque Suevie clarissime matri sue legavit, in defectum eiusdem pueri, scilicet nati sui, adeo quod ex tunc Sicilie generaliter et Calabrie filii, iuxta seriem testamenti, sibi sacramentum fidelitatis et homagii prestiterunt. Et qui vidit testimonium perhibet veritati, cuius testimonium procul dubio non est falsum.

Cap. XXI 1. Accedit adhuc potissimum, in subsidium partis tue, quod ex augusto divo cesare Friderico nullus heres legitimus superest preter tuam solummodo genitricem, propter quod ipsius hereditas ipso iure probatur, ad eam rationabiliter devoluta; unde tua omnia tribus iustis ex causis: 2. taliter iustitia dictante sententiam et equitate librante calculum rationis – de quibus nullam de cetero sine iuris iniuria reciperes questionem – et demum equidem secundum solius arbitrium optionis, in tanto rerum strepitu, tanta tempestate bellorum gravibusque periculis et ruinis quibus concutitur orbis totus, castrum fortitudinis ad

recursum et asilum tuti refugii neminem mundus alium eque bonum et utilem reperiret.

Cap. XXII 1. Ideoque sub tui iugum imperii sponte vadunt: nam si tuo de stegmate seu de potentia disputetur, te magistra natura totum edificavit trans hominem, naturas hominum supergressa, totum in te nobilitatis et forme thesaurum quem habebat effundens et nullis exceptis gratiis, quas tibi privilegiat in persona. 2. Dum armat eam viribus respondentibus ad etatem florentem, illuminat tanta pulchritudine vultum ut perempni letitia sereneris; pingit membra singula specie speciali; sapientie sole thalamum tue mentis illustrat; linguam docet dulcifluos mellis favos in eloquiis distillare tantaque condit modestum corpus et animum honestate quod, vitiis omnibus in exilium relegatis, compositum virtutibus sed et tot decoratum honoribus et decoribus honoratum, te gentes mirentur omnes referre propius angelicam effigiem quam humanam. 3. Nichilominus, tue laudis adhuc ad titulum, clariore te de massa formavit carnis imperialis et sanguinis gloriosi per tuam super regiam genitricem: unde nomen habes et numerum ab augusto divo cesare, Friderico secundo, serenissimo patre tuo, cuius magnarum alarum aquile, tu, Fridericus tertius, verus pullus, quemadmodum testantur scripture, predicant prophetie, naturalium rationum argumenta convincunt; fidelium mentes esuriunt et infidelium animi perhorrescunt. Super volabis altius ascensurus instanter ad quam tibi scala iam erecta paratur universalis dominii monarchia.

Cap. XXIII 1. Si tamen huius genealogie fontem remotissimum forte sitit animus aliquorum ab Enea, magno patre Romane gentis, a quo similiter magnanimus

ille prodiit Iulius primus Cesar, nobilitatis antonomasice privilegio presignitus et audens appropriare sibi Romani fasces imperii, iuri suo translatus potentialiter propriam in personam, usque te constat istam tribum altissimam longa geneseos fila per seriem texuisse, quam uti demissam celitus dudum beavit Deus altissimis temporibus et antiquis, ut tanquam celestis Augustorum stellata sideribus perpetuo radiaret, ita quod adhuc geri per alios quam per illos de sacra domo tua stupentium sancta maiestas imperii dedignatur. Quid tibi nobilius, quid pretiosius aut quid maius natura dare potuit et non dedit?

Cap. XXIV 1. Sic etiam imperatrix egregia, tue parentis parens, inseruit in te germen feliciū regum Anglie generosum, quod tue magnitudinis accedit ad cumulum et perfectionis subvenit ad augmentum. Tuus autem superillustris genitor, Thuringie lantgravius et comes Saxonie palatinus, altam stirpem in te propagat pregrandium misnensium et orientalium marchionum, a quibus tibi fontes argenti surgunt, thesaurorum inundat fluvius et immensa potentia supercrescit, quod tanta siquidem maiestate domorum trinitatis huius progrediens fortunatus. 2. Quomodo superiorem haberes alium? Quomodo socium aliquem, sive parem? Quomodo tui voti posses inglorius remanere? Ad fortunam preterea si convertam narrationis iter et oris lora retorqueam, suis prelarge immoderatis te dotibus peditavit: beneplacitis tuis properans preter avitas et patrias dignitates in Aquilonis zona precellentem Germanie principatum, subiungens et Ytaliā, provinciarum provinciam exponens, regnum Sicilie preciosum, offerens adhuc

venerabile christianis Ierosolimitanum regnum in partibus Orientis.

Cap. XXV 1. Exaltavit te demum ad superlativum excellentie gradum, cum illius potentissimi regis Bohemie natam eximiam, tuos traditam in amplexus, tibi nexu connubii federavit, qui, duobus ab imperiis legitime derivatus, Romano videlicet per eandem lineam una tecum et Orientali, deinde simul olim compositus, maternis in avis suis profecto non degenerat ab utroque. 2. Qui tibi mundi climata subiugata pessumdabit et in eminenti constantie monte firmabit tue potentie fundamentum. Unde dominaberis dominis, principaberis in principibus, reges reges et imperatoribus imperabis. 3. Quid ultra tibi fortuna facere potuit et non fecit? Si te prepotentes ambe prefate dee sursum tulerunt, taliter adhuc nonnullam plantulam in aurora viridis iuventutis, quo te portabunt, postquam surrexeris arborem in proceram et ascenderis ad etatis meridiem altiores?

Cap. XXVI 1. O gloriosum avum, qui talem meruit habere nepotem, quem sedentem in solio maiestatis diverse gentes universaliter adorabunt! O felicem patrem, qui fudit et dedit mundo dominum singularem! O beatam ipsius matrem, que talem produxit filium quo meliorem non habet orbis, non maiorem, non similem, non equalem!

Cap. XXVII 1. Suffultus igitur talium quatuor robore columpnarum et tante firmitatis potentia sustentatus, quibus tutus ex alto mundum deorsum respicis, flexis tibi poplitibus, supplicantem. 2. Patieris de cetero patienter terras tuas, hereditates tuas et regiones tuas ab eodem tyranno per iniustitiam possideri? Permittes tot homines,

tuos homines sic tibi fideles, homines qui te plus diligunt quam se ipsos, excidio deleri totaliter, occidi ferarum more, tot affligi doloribus et martiriis cruciari? Preteribis inultum sanguinem fratris tui, cum tanto despectu vilitatis aspersum? Non pudet verecundia quod illud magnificum genus vesterum, genus quod mundo iam multis et antiquis temporibus imperavit, iste draco presumptit temere gladiis condemnare?

Cap. XXVIII 1. Non pungit ad id acute cor tuum quod, ut supra legitur, dum ad vite confinia misere devenisset, iam exertus gladius – ve, ve! – qui statim ipsius animam de corpore rapiebat, tui quidem ab eius animo non rapuit mentionem? Quid contra te – quod absit – agentibus inferretur, si non probares mundo per testimonium ultionis quod eidem sis heres legitimus onerum et honorum? 2. Attende non simpliciter, sed prudenter! Attende quod licet! Ut aliquis forte putat, ex regis eiusdem cura resultet exaltatio tui status; non ista tamen fuit hostis intentio, qui tibi non cedit, ut vides, et sceptrum dominii non resignat: ymo tuam hereditatem complexam stringens, si posset – quod absit – pariter fureret in se ipsum.

Cap. XXIX 1. Exsurge celeriter ideoque, ne differ, exsurge potenter, exsurge, prosecute iustam causam! Ad arma tende manus, ad arma protinus, ad arma cunctas excita vires tuas! Excita consanguineos, excita fideles, excita subditos et amicos! 2. Succurre ruenti mundo, succurre tuis, succurre fidelibus invocantibus nomen tuum contra feram, hanc feram et feram pessimam, que genus humanum devorat et bibit sanguinem christianum! Obice tuos enses et lanceas et oppone clipeum defensionis! 3. Veni domine, noli tardare, veni domine,

solve moras! Veni tamen in manu forti, sed brachio fortiori, quia felix quem faciunt aliena pericula cautum. Exemplum habes a quo doceris; expeditioni tue quid expedit, hoc in speculo poteris intueri. 4. Cumque tuis a parentibus innata sit tibi nobilitas largitatis, quam eorum respectu ceteri reges orbis et principes non noverunt, aperi thesauros! Effunde divitias, sparge gazas, innumera munera plue tuis! Non costringat avaritiae viscus tuam dextram liberalem, non te pigeat amplis manibus pecuniam seminare: nam procul dubio multiplicatum ex eis milies in erarii tui congeres arca, tempore messis, fructum. 5. Trahe tecum principes innumeros et strenuos milites! Arma iustitiam tuam copiis et terribili potentatu! Sic enim interest tua, qui mundum domare sis, sic transibis in omnem dispositionis affectum, sic omnia vasa tuorum desideriorum implebis. Sic, annuente Deo, suis cui tyrannus iste servitiis ita demeruit et meritis deservivit, ut acceptum in eius excidio sibi sacrificium offeratur, gratumque sit ei quod fiat ex eius victima dyabolis holocaustum, premissas offensas et aliam nondum expressam de morte quondam avunculi, scilicet Manfredi principis Tarentini, cuius per interitum occupavit regnum, sicut decet, magnifice vindicabis et propria vendicabis.